

h. 106, 49.

X 2023563

II. 30

Yd
5978

ORATIO

De

E N C O M I O
URBIS SCHNEBER-
GÆ IN MISNIA SITÆ:

CUI VALEDICTIO BREVIS TAM ERGA
Præceptores, quàm Commilitones subjungitur,
in celeberrimo Magdæburgensium Gym-
nasio sub Ludimode-

ratore

M. JOSEPHO GOEZIO
Jägerdorffensi Silesio.

à

CHRISTIANO Horlemann
Schnebergâ-Misnico

24. Aprilis, Anno Christi 1617. habita.



L I B S I Æ

Excudebat J u s t u s J A N S O N I U S D A N U S.

A N N O M. DC. XIX.





VIRIS

AMPLISSIMA GRA-
VITATE, CONSULTISSI-

mâ dignitate, Experientissimâ curandi felici-
tate, Clarissimâque doctrinæ vbertate

Conspicuis,

VLRICO Kölingf Decumano.

VVILHELMO von Zphoffen

IACOBO Sehling

M. MICHAELI CARDINALI.

} Dominis Judi-
cibus.

ANTHONIO AGRICOLAE.

IACOBO Funcken.

COETERISQVE SENATORI-

bus inclytæ Schnebergensium Reipublice, Do-

minis, Mecœnatibus, & Patronis meis omni ob-
servantiâ colendis.

Nec non

Honestissimo atque Integerrimo viro, Domino

MICHAELI Rudlossen Schnebergensi, Civi apud
Magdæburgenses non infimo, amico ac fautori
meo Charissimo.



Siquis





I quis reprehendendum putet, quod materiam, qua prorsus ingenii mei captum superare videtur, tractandam susceperim, ac nullius ponderis Orationem Vobis, Viri Amplissimi ac Ornatissimi, dedicare non erubuerim: is breviter huius mei propositi rationem percipiat. Non enim fama, laudisve cupidus; sed aliis rationibus adductus etiam audaciore, quam quod materia requirebat, animo propositum aggredi non dubitavi. Inter quas mihi calcar praebeuit singularis σοφῆς, & reverentia erga patriam, cui quantum quisq; debeat, non obscure indicat sapientissimus ille Philosophus Plato; Nobis, inquiens, cogitandum ὅτι ἐκαστος ἡμῶν οὐχ' αὐτῷ μόνον γέγονεν: ἀλλὰ τῆς γενέσεως ἡμῶν τὸ μὲν ἔστι πατρὶς μερίζεται: τὸ δὲ ἔστι οἱ γεννισαντες: τὸ δὲ τί οἱ λοιποὶ φίλοι. Quod Cicero sic reddidit: Non solum nobis nati sumus, sed ortus nostri partem patria sibi vindicat, partem parentes, partem amici. Hæc est gravissima, qua mihi hoc quidem tempore ad V. Ampl. scribendi ansam præbeuit. Accipite igitur, V. Ampl. hunc meum qualemcunq; laborem serenâ fronte, meq; in clientelam vestram recipite, ac solitâ benignitate vestrâ, quâ plurimos antea complexi fuistis, sublevate. Quod superest, Deum aeternum, à quo uno emanant omnia, toto pectore etiam atq; etiam precor, ut V. Rempubl. Spiritu suo sancto regat, Angelorum exercitu tegat, omni benedictionum genere augeat, & in veræ fidei incrementum, in patriæ emolumentum, in bonorum deniq; omnium solatium quàm diutissime servet, felicitet, secundet & fecundet. Dab. Lipsiæ, 3. Nonar. Ianuarii, Anno reparatæ salutis 1619.

Epist. ad
Attic. Ar-
cbitam
Tarent.
lib. 1. Offi.

Amplitud. V. deditis.

CHRISTIANUS Norlemann.

A 2

I. N.





Vemadmodum eorum, Auditores Ornatissimi, qui diutino ac tenebricoso carcere educuntur, oculi caligant, & exoptata illa ætherea lux repentino suo affulsu, videndi facultatem intercipit, non aliter mihi lustranti accidisse sentio. Dum enim, Clarissime atque Doctissime. Dn. Rector, Præceptor multis nominibus honorande, tuque ô florentissima juvenum genere honestorum, genio lectissimorum caterva, amœnissima & venustissima huius inclyti & augusti Gymnasii corona, vestram summam alacritatem vultu & aspectu significatam in his delicatis Musarum sedibus, ac Philosophiæ theatro, quo etiam multi vestrum illustria ingenii vestri edidistis specimina, sublimen virtutem radiare cerno, protinus adhuc solē obstupesco, vox faucibus hæret, & Vos, A. O. alloquendi remittitur quodammodo, licet non voluntas, at facultas. Cui enim, quæso, per Deum immortalē splendor huius frequentiæ mentis oculos non perfringeret, caliginem offunderet, cogitationesque confunderet? Quem non tantorum adolescentum virtus & eruditio hæsitantem, tot auditorum florentissimus vigor mutum, omnium attentio & auscultandi studium clinguem faceret? Sed ecce! sicut iidem remissius cœlestē illud lumen intuiti, recreantur, vegetantur: idē mihi faciendum, & à quibus horrorem ac tremorem, ab iisdem virtutum radiis animum & linguam resumenda puto. Hæc ob causas me, ut ex hoc loco verba facerem, non est existimandum ultrò & temerè profiluisse, qui Demosthenis acumine, Hocratis lumine, Ciceronis suavitate, Livii gravitate:

gravitate neutiquam valere, & scio & ingenuè confiteor.

Quid igitur me, ut hanc caperem provinciam, istamque arenam conscenderem, impulit & adduxit? Idem dicere possum & breviter debeo, quod ab aliis antea quoque honestissimè dici auditum est: officii præstandi studium, in exequendo munere mandato, ab iis, quibus non solum parere æquum, sed refragari nefas esset. Insuper

Hinc me redēgit penè extrema necessitas,

Necessitas, cuius cursus transversis impetum

Voluerunt, multi penè effugere, pauci potuerunt.

In Cyri Regis Persarum exercitu (id quod nunc etiam à Barbaris multitudine hominum abundantibus fieri perhibetur) ita fuisse aciem ordinatam, & instructas copias Xenophon scripsit, ut esset ordo quidam post universos ultimus, qui resistentes & tergiversantes, non modò increpando, sed strictis quoque gladiis instigando progredi cogeret, neque subducere se communi periculo prælii pateretur. Ut tunc igitur unum alterum protrudendo perrexisse facile intelligi potest: Sic mihi nunc in animo est prius commemorata quasi propellere, & ita tamen hac mea Oratione illa insequi, ne penitus iners & ignava contentio operæ meæ qualiscunque videatur. Ut autem meas demandati officii partes exequar, & Clarissimo ac Doctissimo Dn. Rectori, Præceptori nostro vigilantissimo, cuius imperio unusquisque in hac Scholastica communitate subjectus est, debitam præstem obedientiam; urbem Schnebergiacam in Misnia sitam, omnis memoriæ clarissimam, famam notissimam, ac illustri laudè celebratissimam Oratiunculam quadam, non quidem ex Apollinis tripodè elaborata atque accuratissima lima (ut qui-

dem par esset) expolita , sed potius ex Barbariæ situ de-
prompta expressurus, inque debitæ pietatis & grati animi
testimonium de laudibus patriæ meæ charissimæ absque
ullis verborum sesquipedalium ampullis quàm strictissi-
mè dicendo persecuturus sum. Nam

Ovid.

Nescio, quâ natale solum dulcedine cunctos

Ducit, & immemores non sinit esse suos.

Cic. 1. Cff.

Exigua laus, ut opinor, ex honestis parentibus, & in Re-
publ. benè constituta natum atque educatum esse, non
est, asserente id eloquentiæ parente: Patria, dicens, benè
morata auget decus & patria malè morata obicitur tan-
quam probrum. Et Aristoteles beatam prædicat Rem-
publ. quæ vivit secundum virtutem.

Agite ergò, Vos commilitones suavissimi, mihi que
charissimi, agite, adeste, quæso, animis omnes, tam qui *σώ-
ματα*, quàm qui *σωμάτια* accepistis, sustinetis, attulistis, &
benignas haud gravatim aures mihi balbutienti, quan-
quam hæc ad Vos oratio parum, aut nihil potius spectare
videatur, accommodate, ut quod cupio dicere, & dicere
animo possim præsentem.

Tu DEVS inceptas confirma numine partes,

Et rege conatus luce favente meos!

Ut autem *συνομιῶν* more Rhetorum atque institutione
Præceptoris nostri vigilantissimi ordiar, exordiar, eum or-
dinem, quem Commilitones meos observasse video, qui
superioribus septimanis patriam, in quâ illi nati atque
educati, summis encomiis ac laudibus profecuti sunt. E-
quidem polliceri haud possum, me de patria mea charissi-
ma accuratiùs disputaturum, aut speciosius dicturum, sed
quæ de ea in Chronicis edita sunt, ea admirans, ut debeo,
& cupiens imitari, ita conabor Vestræ Excell. probare mo-
rifierandi

figerandi studium & operam diligentiae meae. Quod supra vires alicuius est, id à nemine, ulla in re aut actione requiritur.

Quemadmodum autem Athenienses de sua terra extitisse se gloriati quondam fuerunt, & αὐτόχθονες appellari voluerunt, quod origo generis illius memoria hominum non comprehenderetur, & Arcades eadem de causa jactare ante Lunam prognatos se non dubitarunt: ita urbs Schneberga fertilissima suam antiquitatem praereliquis metallicis in regione Misniae sitis, ex monumentorum veterum reliquiis verè ostentare potest. Res enim metallica illius urbis sub imperio Illustrissimorum Electoralium Ernesti & Albrechti fratrum Saxoniae anno post Christi Nativitatem septuagesimo primo supra millesimum quatringsentesimum inventa, & paulò post urbs aedificandi inchoata, & tandem anno 1477. erecta, exornata atque ampliata fuit. Annaberga verò sub Illustrissimi Principis Albrechti imperio inventa, & anno 1497. habitandi aedificata fuit. Sic Mariaebergam sub Henrico, qui Albrechti filius fuit, anno 1519. fundata, & 1521. extructa, quae ambae, uti & Freiberga à Vulcano funditus everfae, & denuò reaedificatae sunt. Sic anno 1516. Valles Ioachimicae venarum metallicarum divitiis & fructibus abundare coeperunt, uti sequens Symbolum à Chronologicis quondam assignatum ratum facit:

eCce florent Valles CVM eVangeLio.

Schneberga igitur caeteris Misniae oppidis metallicis antiquitate praere putatur, & non immeritò summis commendatur ac exornatur encomiis. In illius autem rei metallicae fundatione Saturnus in Cancro fuit ibique Luna advolavit, quae in 4. domo Coeli in Schemate illius ponuntur.

muntur. Inineunte verò anni sequentis, qui septuagesimus secundus supra millesimum quingentesimum, die octavo Iduum Februarii, qui Dorotheæ dicatur, res metallica crevit ac in flore fuit, ibiq; ingens & inusitatus Cometa ab omnibus visus, qui octoginta noctibus micans & rutilans signum Tauri & Arietis peragravit, uti ab historicis perhibetur, & sequens vulgare pronunciatum clarè testatur:

CCe CVI CoMeta LVXI.

Cujus nominis, quæso. A. O. propriam & luculentam significationem penitiùs atq; altiùs animo perpendite. Nam

DOROTHEAE *nomen donum cæleste* **JEHOVAE**

Denotat. Hac enim die divinæ providentiæ benignitas urbem illam multis & preciosis donis locupletavit, arva frugifera attribuit, & colles fœcundos infinitis commoditatibus auxit.

Quid ego nunc de venis & fodinis argenti & æris referam, quarum ingens ibi copia quotidie reperta non modo suos incolas, sed externos etiam homines & canalicolas egenos divitiis atq; opibus innumerabilibus complevit, & hæc lucra plurimos, ut ait Plautus, luculentos reddiderunt? Non breve hoc tempus unius aut sesquihoræ, sed ne plurimæ quidem dies, (ut ajunt) atq; noctes sufficerent ad enarrandum singula, si bona & dona Dei ex fodinis evulsa diserta copiosaq; Oratione explanando persequerer. Illa saltem, & quidem præcipua, quæ ab historicis referuntur, attingam strictimque referam.

Philippus Melanthon in Chronicis suis refert, quod iis, qui Schnebergæ venas impensis suis ab anno 1471. usque ad 1550. coluerunt, ex venis 12335520483. uncialium, hoc est,

hoc est, plus 123355. tonnis auri distributa sint: Et loco
decimarum Principibus Saxoniae 2055920080. uncia-
lium, hoc est plus 20559. tonnis auri, tantundem etiam il-
lis de argenti signatione soluta. Supputatio siue calculus
harum trium summarum 164473. auri tonnas facit. D. Ge-
orgius Agricola de rebus subterraneis & metallis lib. 1. &
quidem de D. Georgii sic scribit: me verò cum in sum-
mam quandam id argenti, quod effossum fuit, colligi
Schnebergi audirem, longè major coepit admiratio. Et
paulò ante hæc posuit ac memoriæ reliquit: Schnebergi è
fodina, quæ Georgius appellatur, tanta argenti puri copia,
quanta ex alia nulla in Germania unquam effossa fuit.
Nam ex Georgii fodina metallici tam multum argenti
quarta anni parte evulserunt, ut singulas centesimas octa-
vas partes distribuere panes argentei, qui mille & cen-
tum aureos Rhenanos nummos valerent. Et paulò post
notatu dignum refert, quod in primis venalis fodina Ge-
orgii efflorescentibus & maximè æris abundantibus con-
tigit, cum Illustrissimus Princeps Albrechtus se D. Geor-
gii fodinam immiserit, sibi & suis Consiliariis cibo ac po-
tu eò importatis magna super argentea massa, quâ pro
mensâ usus, in quâ hæc protulit verba: Cæsar noster Cle-
mentissimus Fridericus potens quidem & omnium copia
abundans est: attamen cum ejusmodi mensam tam fabri-
cosè extractam non habere scio, quod paucis rransactis
annis post quadringesimum obtigerit, in quo metallicus
nomine Nicolaus **Staude** / ingentis massæ puræ putæ ar-
gentæ duorum passuum metallicorum altæ, & unius latæ
meminit, ex quâ æris rudis massa, quod tamen abiq; Vul-
cani ope extemplò purum in vena ista Georgiana reper-
tum & ortu tale generatum quadringentæ Centusses con-
fictæ.

B

fictæ.

fictæ. Præterea in 2. lib. de vet. & nov. metall. hæc meminit: inter celeberrima argenti metalla in Mysena est, ab Annæberga ad 25. lapidem Schnebergum, quod Aeneas Sylvius Nivismontem nuncupat, id omnium Germaniæ metallorum fertilissimum fuit argenti puri. Item lib. 1. de vet. & nov. metall. iam si expendantur, inquit, singulares fodinæ, quæ nostris temporibus fuerunt fructuosæ, patrum memoria longè cæteris antestetit Schnebergi Georgius, cuius argentum æstimatum est aureis Rhenanis M. M. M. juxta quorundam supputationem 20. auri tonnas faciunt. Sic quoque Poëta recens hujus fodinæ abundantiam, illiusque mirificam foundationem eleganter hisce suis versibus descripsit:

*Infinita dedit namq; una fodina talenta,
Argentiq; graves massas, quæ pondere lapsos
Presserunt, & equos & adactos robore currus,
Quin via, quæ nostros Cygnæam ducit in urbem,
Argyrhodi dedit hinc traiecto nomina penti,
Ad Corylum, veterem pagum, Muldæq; fluentia,
Plaustris atq; trabis, quod eum transvecta fuerunt
Mulciber excoxit quæ ingentia frustra argenti.*

Philippus Melanchthon in Oratione quadam de Misnia habita sequentia scripsit: Venæ celebres eo in loco in Macedonia fuerunt, ubi urbs fuit Philippi, olim Dathos aut Crenæ nominata. Harum venarum proventus fuit annuus sexies centum millia coronatorum, ut nostro more loquar. Fuisse autem aliquandò uberiores venas Freibergenses & Schnebergenses manifesta extant testimonia. Singulas enim septimanas hunc Philippum 12. millia coronatorum, sive aureos Rhenanos octodecim millia ex venis metallorum fodinarum accepisse refert Matthesius.

Inter

Inter alia quoque D. Peucerus lib. 5. Chron. Carionis fo-
dinarum metallicarum Schnebergæ mentionem facit:
omnia, inquit, metallifera oppida in Germania Schne-
berga superavit. Nunquam enim una vena tantum argen-
ti, quantum D. Georgi Schnebergæ fudit. O urbs igitur
omnium famosissima! ô clarissima! ô florentissima! ô locu-
plerissima!

Atque nunc Orationis meæ cursus ad aliam narratio-
nem, quæ illi Schnebergæ quoque famam conciliat sempi-
ternam defertur. A Edificia quidem Schnebergæ in initio
non redoluerunt insolentiam Hispanicam, nec magnifi-
centiam spirarunt Italicam, sed tantummodo humilia, li-
gnea, & quasi casuaria luto & calce obducta fuerunt: vetu-
state tamen structuræ corusca. Nec minus hoc dedecori
ipsi cedit, quam Wittebergæ, quæ ipsa ædiculas habuit
luteas & stramine tectas, quanquam nunc ædium magni-
ficentiam cum aliis certet: quod & ipsum de Schneberga
certò nobis pollicemur; Si eo modo, quo cœperunt, in
extruendis partim novis, partim & exornandis veteribus
ædificiis sedulitate incolæ perrexerint. Verum, ut occasio
reprehendendi semper est obvia, si quis calumnietur, il-
lam urbem montosam, asperam ac lapidibus confrago-
sam inhorrescere, & plus æquo fragilibus cinctam esse
muris, responderi poterit, quod olim Agesilaus ille Lacc-
dæmoniorum Rex percontanti, quam ob causam Sparta
non cingeretur muris, responsum voluit, ostendendo
cives armatos, inquit: Hi sunt Spartanæ civitatis mœ-
nia: quo significavit Respublicas nullis munimentis, nul-
lis vallorum propugnaculis tutiores esse, quam civium
virtutibus. Schneberga ergò tutissima est ac firmissima tot
fortissimorum civium virtutibus: nam lapideo quod operi
deest,

B a

deest,

deest, id animorum robur ac præstantia compensant, & quod hominum artificii, id natura loci, (cum super naturale castellum ædificatum est) tot præruptis undiq; montibus resarcit commodissimè circumsepiendo. Sic Hispani maiorum nostrorum temporibus ab illa urbe forti atq; alacri animo in fugam redacti, ut etiam huic præ aliis circumjacentibus benè munitis oppidis gloria hæc quotidie tribuitur, ipsiq; soli conceditur.

Sed quid multa de catenatis oppidis & ædibus profanis? Nonnè ibi sedes & ædes sacra, quæ præcipuum civitatis ornamentum & additamentum est, elimatis fornicibus est concamerata? nonnè illa ex selectis & fossilibus lapidibus affabrè exornata & ad cælum usque erecta? ut vix unam illi similem in tota Germania invenies, in quâ vera ac sincera veritatis cœlestis doctrina ac Lutheranae religionis puritas floret & viget, illaque in vigore & virore ab omnibus corruptelis in hanc usq; diem conservatur; idque fidelissimorum Pastorum suorum, virorum Clarissimorum vigilantia, qui longis ab hinc annis illam Ecclesiam voce & re laudabiliter rexerunt, ac officio suo doctrinâ, puritate, morû verò & disciplinatum gravitate strenuè defuncti sunt. Quin etiam, quod preciosissimum illius civitatis est *κρημνάλιον* dotibus reliquis longissimis parasangis præferendum, erecta & exornata est Schola, quæ profectò non est nebulonum, sed omnium facultatum, scientiarum, artium humanarum, virtutis & morum pietatis officina, ad quam multi aliarum urbium cives liberos suos eò ad omnium veluti bonarum literarum ac virtutis mercaturam certatim quondam transmiserunt, quorum assiduò tantam diligentiam experti sunt Præceptores, ut nec Cleantis, (qui inopia noctu hauriebat aquam

quam, ut interdum studiis liberalibus operam impenderet) *Laërtius*
nec Aristophanis, (qui molam versabat) major unquam *lib. 7.*
extiterit. Ex quâ etiam tanquam ex equo Trojano multi
prodiere viri in omnibus scientiis excultissimi, patriæ non
solum, sed aliis etiam exteris nationibus utilissimi ac salu-
berrimi. Sed Plato tunc denique fore beatam Rempubl.
dixit, si aut docti, aut sapientes homines eam regere cœ-
pissent, aut qui regerent, omne suum studium in doctrinâ
ac sapientiâ collocassent. Idem ad Q fratrem legitur apud
Platonem de Republ. his verbis: nisi aut Philosophi in ci- *Dial. 5.*
vitate dominantur, aut qui nunc reges dicuntur ac po-
tentes philosophentur, non erit civitatibus requies ulla â
malis. Quam sententiam quoque in ore frequenter habu-
isse Marcum Antonium, Capitolino indicante. Hæc do-
na præstantissima Schnebergæ profectò Deus ter. Opt.
Max. quoque communicavit. Illam enim Senatu tam Pru-
dentissimo, Clarissimo ac Spectatissimo ornavit, qui an-
no septuagesimo nono supra millesimum quadringente-
simum ab Illustrissimis Principibus Electoralibus Erne-
sto & Albrechto Domus Saxonie constitutus, confirma-
tus, & tandem anno 1481. ab ipsis privilegia insignia na-
ctus est. Hinc adeò fit, ut cum qualis rex, talis grex; Regis
namque ad exemplum totus componitur orbis, ipsi et-
iam incolæ sint justitiæ & æquitatis studiosissimi: inter
ipsum floreat integritas, luceat honestas, vigeat erga pere-
grinos æquè ac incolas humanitas: Ipsi que ut plurimum
agrorum culturæ & opificiis manuariis, imprimis verò re-
bus metallicis inde â multis retrò seculis sint dediti. At
quia contractibus & mercimoniis quæstuariis aliis non in-
hiant, ab iniquis & fraudulentis imposturis sunt planè ali-
eniores, simplices, humiles, temperantes, & ut simul ac se-

mel dicam, viri sunt honesti & boni. In vitâ autem com-
muni cives non sunt Martis pulli, sed summo amore & ar-
dore concordiam ac pacem magnoperè prosequuntur,
quâ nihil utiliùs, nihil digniùs in hoc ergastulo esse judico.
Nam

*Res parvas animi concordia servat & auget,
Mens discors magnas depopulatur opes.*

Sic quoque Diodorus Siculus, qui sub Augusto flo-
ruit, & res usque ad Julii Cæsaris mortem gestas comple-
xus est pacem, & inter alia de illa hæc protulit: μηδὲν ἐστὶ
μᾶλλον δυνάμενον εὐδαίμονα βίον παρασκευάσαι τῆς ἐννομίας καὶ
δικῆς καὶ εἰρήνης, h. e. nihil est vitæ hominum ad foelicitatem
comparandam utiliùs, quam leges, justitia & pax.

Jam modestiam foemineam silentia involvam, quæ
ταμῆον ἐστὶν ἀρετῆς ἢ σωφροσύνη, ut Menander inquit, & in li-
beris eorum splendet. De innata verò virginum formâ
virtutumque eminentiâ haud immeritò cum illo Poëta
sic cano:

*Educat pulcras Venus hic puellas,
In Iovis summi thalamos ituras,
Poma quæ sola teneant Atlantis
Aurea dignæ.*

Ejusmodi mores tam politi, tam benè conditi, ex
nullo alio loco, quàm ex Scholis benè constitutis prove-
niunt, in quibus verbum Dei purè & sincerè docetur, ut
sola fide in Christum justificemur, & per hanc fidem vi-
tam æternam consequamur.

Restant nunc ea persequenda, quæ huic urbi, quam
laudo, simul tempore sunt conjuncta. Nam illa amœnita-
tem reddit longè jucundissimam, atque saluberrimam.
Sive enim hortorum respicias frequentiam, est ea circum-
quaque

quaque fragrantissima: siue campi & agrorum copiam, est
ea patentissima: siue recessuum atque umbraculorum syl-
vestrium virescentiam, est ea exoptatissima. Illa insuper
maximam aëris fruitur salubritate, & à procellis afflantibus
agitatur. Non enim est montibus inclusa, ut pestiferæ me-
phites, putres exhalationes aliique acuti morbi virosam
crassitie illam corrumpant, sed aëre puro, placidam coeli
temperie & sereni totius machinæ cœlestis aspectu frui-
tur. Et licet in urbibus metallis abundantibus tempestuo-
sior aliquando ac immitior aër, propter Solis radios, in-
gruere videtur, qui sinistrè montes tangunt, nec tam fir-
mam & densam repercussionem terræ inferunt, cum &
montium juga & vertices mediæ aëris regioni proximio-
res sint, vis ventorum & tempestas acrior, hyems constan-
tior & diuturnior, quam alibi locorum: attamen aër ibi
longè plus utilitatis semper, quam incommodi solet im-
portare. Undi quaque enim illa latè frigoribus Borealibus
ultrò citroque agitatur, ventilatur atque instar globi in-
volvitur, & sic ad omnes fortunæ truculentioris impressi-
ones incolæ assuefiunt, sic ad morbos superandos, sic ad
durissimos labores perferendos exercentur, ac educantur
corpora. Neque etiam ullibi in historiæ Codicibus legi-
tur, quod neque montis cacumen cum monte, neque tugu-
riolum, quamvis malè munitum & ab Aquilone sæpè agi-
tatum, ab Euro aut aliâ quacunque tempestate ibi humi
projectum fuerit, exceptis iis montibus, qui anno Mundi
1656. die 10. Mensis secundi in Cataclysmo universalis iussu
DEI corrupti, omnesque ab abyssis magnis reseratis cœli
catarrhactis perpetuisque imbribus & fluminum ac ma-
rium inundationibus opprimendo eversi, & sic in illo
propter hominum malitiam omne viventium genus, ex-
ceptis

ceptis octo animalibus rationalibus, paucisque irrationalibus miserabili clade ac internecione horribili absorptum & deletum fuit. Quam Diluvii historiam Moyses accuratè in 6. 7. & 8. capitibus Genesios exposuit. Per quam nobis exemplum ante oculos ponitur iræ divinæ horrendæ adversus peccata; & documentum simul illustre τῆς Φιλανθρωπίας in Noami viri sancti cōservatione, hunc quippe in illa totius orbis πανολεθρίας cum uxore, tribus filiis & horum Conjugibus superstitem manere voluit: ut essent tanquam μικροζώπυρα ἀνθρώπων γένος, h. e. parvæ quasi reliquiæ, ex quibus post Diluvium genus humanum universum in orbe denuò resuscitaret.

Et sic habetis, A. O. quæ de patriæ meæ charissimæ encomio breviter & leviter dicere constitui. Longè quidem plura ex tanta argumenti fertilitate, cerevisiæ nimirum multarum vicinarum urbium superantis superfluitate, piscinarum & frumenti ubertate, aquarum salubritate, & Cadmiæ metallicæ, ferri, plumbi nigri & cinerei copia in mentem dicenda mihi essent, sed malui brevior haberi, quàm proluxa nimis, Oratione vestram audiendi patientiam offendere.

Agnoscite ergò meum, ô populares mei suavissimi, quotquot hîc adestis, bonitatem hanc divinam longè maximam, Deo quæ ardentes pro eadem gratias agite, devotè petentes, ut is instar propugnaculi nostræ patriæ protector, Ecclesiæ inspector, Scholæ Rector. Senatusconsultor, rei quæ metallicæ dator & fundator summus esse in æternum dignetur.

Nunc autem ad id me accingo, cujus gratiâ potissimum in hanc arenam descendi, nimirum, ut gratum me exhibeam, quoniam ex hoc celeberrimo Gymnasio (ex quo

quo tanquam ex equo Troiano ad honoris culmen emer-
serunt multi) aspirante DEI gratiâ migrabo, discedam &
abeam.

Tibi ergò DEUS, qui essentiâ unus es, in personis tri-
nus, tibi, inquam, gratias ago & habeo immortales, quod
me hominem indignum, peccati sordibus pollutum, per
lavacrum regenerationis & renovationis Christo inser-
tum, & sanguine precioso ac roseo Christi aspersum, in fi-
lium Dei & cohæredem FILII tui adoptaris, & ad societa-
tem Ecclesiæ vocatum, in Scholis honestis informandum
atq; expoliendum commiseris. Te porro suppliciter oro
& precor, ut impostero etiam SPIRITU tuo SANCTO,
Spiritu sapientiæ & intellectus, Spiritu precum & gratiæ
illuminatum me tibi commendatum habeas, ut vocatio
hæc, in quam me ipse collocasti, sanctissima, cedat in tui
nominis gloriam, Ecclesiæ utilitatem, & Reipubl. com-
modum.

Progredior nunc ad Præceptores meos multis no-
minibus colendos. Quo autem ore, quâ linguâ Vos
Clarissimi, Excellentissimi nec non Doctissimi Dn. Præ-
ceptores, alloquar? quibus verbis vos amicè compel-
lem? quæ verba, quæso, poterint inveniri, quæ tanto-
rum meritorum amplitudinem exaggerare & pro digni-
tate exornare possint? Excellentia V. suo favore complexa
est me hominem humilis & abjectæ sortis, ejusque ut no-
bilissimam corporis humani partem, mentem prius he-
betem, incultam & horridam doctrinâ acuit, institutione
excoluit, curâ & industriâ suâ dignata fuit, corpori etiam
de victu pro divinâ quadam clementiâ apud MICHAEL-
LEM Rudloffem popularem meum per quàm charum, li-
beralissimè prospexit, adeoque nullum munificentiae &
liberalitatis genus in me erudiendo, sustendendo atque
C expolien.



expoliando prætermisit. Sed quidnam Excell. vestrae pro
istis omnibus beneficiis in me collatis debeo? nihil profe-
rò invenio, quod par esset, & quibus pro debito respon-
dere possem vestris in me collatis beneficiis. Vides enim
Clarissime Dn. Rector, videtis idem reliqui Præceptores,
quæ mea sit tenuitas, quæ profligata fortuna, ut collato, ne
minimam quidem vestrorum meritorum partem assequi
posse videatur. Quare cum Alexandro proclamare cogor,
me Excell. vestrae non minus debere, quàm patri. A Patre
enim saltem vivendi, ab Excell. vestra benè vivendi initiū
accepi. Et ut uno verbo dicam, meæ facultatis non est pa-
res referre gratias. Gratias autem quantas maximas oris
hujus infantia proferre animus concipere potest, ut Ex-
cell. vestrae omni prædicatione ornentur, publicè cele-
brentur, pleno ore illustrentur, & aptis (quod ajunt) tibiis
decantentur. DEUS δωτὴρ ἀγαθῶν suâ gratiâ & favore vi-
cissim vos dignetur, ut omnes labores & actiones ad san-
ctissimi sui nominis gloriam, ad provinciarum Scholasti-
carum emolumentum, juventutis ornamentum, Scholæ
denique hujus Magdæburgensis firmamentum & inco-
lunitatem sempiternam vergant & cedant. Vestro enim
beneficio immanes mei mores abierunt in humaniores:
animus impolitus in exultiores: inscitia in doctrinam:
ignorantia in qualemcunq̃ eruditionem: quanquam
non ignoro, quam hæc in me eluceant obscura, ne dicam
mediocria, sed omnia levia. Si quid tamen est, quod aut
doctrinam, aut humanitatem redolet, id vestrae curæ, ve-
stra diligentia, vestris laboribus & sudoribus unicè acce-
ptum refero. Tantis autem me vobis obstrictum esse be-
nificiis, & tristior, & gaudeo. Quia enim facultates, quæ
beneficiis vestris respondeant, mihi non suppetunt, ma-
gnopere

gnoperè angor animo, ne parum gratus videar, dum ver-
bis solummodò gratias agere & satisfacere conor. Nonnè
χρῦσα χαλκείων commuto, qui pro rebus verba reddo, pro
benefactis benedico.

Erigit autem & reficit rursus animum meum vestra
incredibilis benevolentia, quod præter gratum animum
nihil amplius requiratis. Ergò nullæ litteræ tam ingratae
erunt, quæ de vestris meritis conticescant, nulla dies illu-
cescet, quæ non vestri nominis famam commendabit ad
feros usque nepotes. Erunt vestra merita longè maxima
infixa penitus meis medullis, quæ nec temporis longin-
quitas oblitterare, nec ulla adversitas imminuere nec era-
dicare poterit. Nullum denique tempus intercedet, quod
vixero, & dum Spiritus hos reget artus, qui non pro salute
& incolumitate vestrâ, vestrorumque quotidiana vota fa-
ciam. Vincam (ut uno verbo dicam) meis officiis cogitati-
ones vestras.

Quod reliquum est, vos commilitones mei suavissi-
mi mihi compellandi videmini, vixi ego in hoc Lycæo per
integrum triennium cum semestri vobiscum, vestra ami-
citia mihi admodum placuit. Incredibile est, quàm acer-
bum mihi accidat, quod à latere vestro abstrahar. Me ta-
men vestra mihi hætenus cognita benevolentia recreat.
Vobis ita persuadeatis velim, quod ubicunque terrarum
versatus fuero, memoriam vestram honestissimè mecum
circumferam. Valetate igitur Præceptores mei vigilan-
tissimi: Valetate conterranei mei amantissimi: Valetate com-
militones mei ornatissimi: Valetate diutissimè amici mei
mellitissimi, qui præ cæteris familiaritate mihi juncti fu-
istis. Facite, ne malevolorum rumusculis & pestiferis ca-
lumniatorum voculis transverberer. Sed quid de his mul-
tis?

AK 4 d 5978

O mibi fraterno dilecti more sodales,
Quæ sine dulce mihi nil fuit, est, & erit!
Este salutati, memores & vivite nostri,
Vos ego quod superest temporis usq; colam.
Vivite vos, florete, vigete, virete, valete,
Gymnasiarcha vale, Parthenopenq; vale.

D I X I.



PIETATE, ERUDITIONE ET HV-
manitate, nec non morum integritate conspicuo juveni
Dn. CHRISTIANO HORLEMANNO, χαριστήρια πα-
τριας suæ πρεπόντως persolventi felicioris omi-
nis & optatioris promotionis
gratia:

Κάλλιστον πέλεται δῶρημα θεοῦ, ὕπερθεν
Ἡ πατρὶς, χάριτι ἡμερόεσσα πάρα.
Μὴ μείζων ἄλλος μόχθων ἄν ἢ σερεΐδι
τῆς πατρικῆς γαίης, ἢ χαριέντα φέρη.
Σοὶ χαρίτεσιν ἄμ' εἴη, ἠδὲ μένη διὰ παντός,
Διὰ χάρις λιπαρῶς εὐτελείοιτο τεῖν.

Συγχαριστὶ Scrib.
M. Andreas Ehrlichius Mit-
Weidensis.

F I N I S.

1277

m.c.

h. 106, 49.

x 20

ENCURBIS

GÆIN

CUI VALEDICT

Præceptores, quâr

in celeberrimo

nasio

M. JOSE
Jäger

CHRIST

Sch

24. Aprilis,

Excudebat Jus't

ANN



Yd
5978

